


LVNÆ DIE 11 M. IVNII A. 2012

A.d. III Idus Iunias a. MMXII

I 6 8

M E L I S S A



**FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA**

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128



# DE MACHINA ANTICYTHERORVM

## SIVE DE ANTIQVORVM GRÆCORVM COMPVTATRO MECHANICO

– refert Gaius Licoppe –

Est re vera historia extraordinaria. In confracta nave antiqua in fundo maris Ægei iacente «res» parva informisque fortuito inventa est primo vicesimi sæculi anno, eodem fere tempore quo Röntgen radios X invenerat. His ipsis radiis, ineunte vicesimo primo sæculo, grex diversorum scientificorum demonstrare valuit «rem» esse computatrum mechanicum secundo sæculo a.Ch.n. a Græcis fabricatum, id quod erat omnino inauditum.

Anno 1900 duæ Græcæ naviculæ spongiarum piscatorum se a mala tempestate protegunt tutamine Anticytherorum insulæ; dum meliores navigationis condiciones exspectant, ne tempus perdant, urinantur scaphandro induti, quærentes num ibi sint spongiæ. Mirantes in arena fundi adspiciunt æneas statuarum partes; quod inventum auctoritatibus Græcis demum nuntiant post longum piscatum.


Sine mora locus exploratur; ibi iacent membra confractæ navis Romanæ, quæ præter vini amphoras multa opera Græca transportabat, marmorea et ænea: verus thesaurus, quo nunc ornantur tres œci Atheniensis musei archæologici; inter inventa præcellens opus, ephebus Anticytherorum vocatum, est magna statua ænea quarti sæculi a.Ch.n., cuius disiectæ partes coagmentari potuerunt.

Inter tot mirabilia opera etiam erat parva res informis, quæ in musei cellario condita est, cum eius usus lateret.

Anno 1902 archæologus Valerios Stais primus



*Ephebus Anticytherorum, IV s.  
(hæ quattuor imagines excerptæ  
sunt e Wikipedia).*



*Maius fragmentum machinæ Anticytherorum.*

animadvertit ei inesse inscriptiones rotasque denticulatas. Albertus Rehm, Germanus philologus, cum hoc audivisset, Athenas anno 1905 venit ad rem examinandam atque iam tum comperit eam esse computatrum astronomicum; eius vero adnotationes, numquam divulgatæ, manserunt in Atheniensi museo.

Machina Anticytherorum, quæ tunc vocata est, in oblivionem venit usque ad annum 1951, cum Iohannes Derek de Solla Price, physicus scientiarumque historicus universitatis Ialensis, eam iterum investigare statuit. Tria præcipua fragmenta componit atque, technicarum progressibus mediæ vicesimi sæculi utens, imprimis æs sale marino corrosum purgat electrolysi, deinde prima photographemata radiis X facit, quibus invenit inesse 27 rotas denticulatas. Anno 1959 in symbola «An Ancient Greek Computer» inscripta confirmat Alberti Rehm conclusionem.

Orbis scientificus obstupefactus est; notum enim erat Antiquos ligneas magnasque rotas denticulatas fabricavisse, sed nemo putabat eos metallicas, parvas, delicatas exactasque rotas efficere valuisse.

Anno 1971, una cum Charalampos Karakalos, physica nuclearis professore, Price nova photographemata facit radiis X et  $\gamma$ , quibus dentes nonnullarum rotarum numerare potest. Una e maioribus 235 dentes habet; curnam? Labuntur enim 235 menses lunares intra idem temporis spatium ac 19 anni solares; hoc vocatur «cyclos Metonicus», cum hanc concursionem quinto sæculo primus animadverterit Græcus astronomus Meton. Græci utebantur duplici calendario lunari et solari; lunare vero duodecim mensium non exacte congruit cum anni temporibus calendarii solaris, unde necessarium erat mensem intercalarium (sive embolimum) addere septimæ ex undevicesimis annis solari-

bus. Price tunc intellegit numerum dentium in rotis congruere cum typicis numeris astronomiæ antiquæ; machina Anticytherorum videtur fuisse computatrum calendarii, sed tam intricata est, ut non pauci putent fieri non posse ut sit antiqua.

Anno 1976 nauarchus Cousteau de nave sua Calypso iterum explorat antiquam navem prope Anticythera demersam; huius magnæ (circiter 30 m. longæ) navis onerariæ nonnullas partes extrahit; etiam recuperat minora opera ænea, sed præsertim amphoras et nummos, qui navis ætatem revelant. Amphoræ, ex insulis Rhodo et Coe oriundæ, sunt prioris dimidiæ partis primi sæculi a.Ch.n.; præter nummos æneos sunt 36 argentei, plerique Pergamei, pauci Ephesii, inter annos 70 et 60 signati.

Ultimum iter huius antiquæ navis nunc restitui potest: sive Pergamo sive Epheso profecta, vehebat maximam artis miraculorum copiam historicis notam; stationem Coi et Rhodi fecit ac Romam petens iuxta Anticythera demersa est paulo ante medium primum sæculum a.Ch.n.

Novus investigator deinde apparet, Michael Wright ('Curator of Mechanical Engineering at the London Science Museum'); qui vir, optimus faber, privatam officinam habet optime instructam, ubi delectationis causa fabricat instrumenta. Imprimis experiendo invenit quomodo Antiqui rotas denticulatas valuerint conficere, etiam eas impari dentium numero præditas. Postea machinæ fragmenta iterum radiis X explorat, sed tum instrumento tomographico, i.e. quo imagines transversæ sectionis obtinentur. Hoc modo non solum plures rotas quam Price invenit, 31 scilicet, sed in nonnullis etiam numerum dentium detegit. Primus putat machinam lunæ eclipses prænuntiare potuisse. Exitus harum investigationum divulgat anno 1997.

Re vera, exeunte vicesimo sæculo Anticytherorum machina maximam partem manebat ænigma. Quare anno 2005 Michael Edmunds, honorarius professor geologicæ chemiæ (præsertim hydrogeologiæ), efficit ut nonnulli scientifici diversarum doctrinarum coeorentur in consilio, c.n. 'The Antikythera Mechanism Research Project'; participes sunt ipse et Antonius Freeth, mathematicus, ambo universitatis Cardiffæ, Moussas et Bitsakis, Atheniensis universitatis, et Seiradakis, universitatis Aristotelis Thessaloniciæ; pecunia præbetur a Culturali Fundatione Nationalis Argentariæ Græciæ.


Eodem anno nuntiatur 82 machinæ minora fragmenta reperta esse in aliquo recessu cellarii musei.

Ad cuncta fragmenta intime exploranda novissimi technicarum progressus sunt adhibendi. Fiunt nunc

radiographemata in tribus dimensionibus, sed nullum instrumentum exstat, quo hæc machina possit explorari. Freeth, gregis dux, in interreti invenit Anglicam societatem, 'X-Tek Systems UK', quæ specialia instrumenta scannerica X radios adhibentia fabricat, eiusque rectori suadere valet, ut instrumentum machinæ Anticytherorum aptum conficiat, quod facile non est; nam ad machinæ acervum metallinum satis spissum X radiis perfodiendum opus est tensione electrica multo maiore (450 kV) quam solito et tenuissimus focus est necessarius, ut imagines sint quam accuratissimæ. Efficitur ingens instrumentum decem circiter tonnarum ingentisque pretii, quod insuper oportet Athenas, usque ad museum, transportare, cum machinæ fragmenta fragilitate affecta ibi manere debeant.

Fit autem revelatio stupenda: non solum omnes interiores partes nunc dilucide adspiciuntur, sed etiam apparet quomodo rotæ in compluribus stratis dispositæ sint; rotarum numerus bis maior est, quam antea inventum erat, et tota structura intricatissima est. Plerarumque rotarum dentes facile numerantur et 2160 litteræ Græcæ nunc reperiuntur, cum antea solum circiter mille detectæ sint; non tamen pleræque satis dilucide apparent, ut sint legibiles.

Iterum auxilium technicæ miraculorum est petendum. Societas 'Hewlett-Packard USA' fabricat singulare instrumentum aptum ad detegendas minimas alicuius superficiæ eminentias ('3D surface imaging device PTM dome'). Hoc instrumentum quoque arcessitur; est hemisphærium 50 cameris photographiis, singulis cum fulgure, præditum, in cuius centro ponitur res examinanda; 50 photographemata ordine fiunt, quæ



*Hoc intricatissimum machinamentum constat ex circiter 60 rotis denticulatis.*

ordinatro tractantur. Effectus est mirabilis: omnes litteræ, quarum nullæ amplius 2,5 mm altæ sunt, dilucide apparent et 95 centesimæ partes totius textus nunc sunt legibiles; feliciter maior eius pars constat ex astronomicis, mechanicis et geographicis notis; restat ergo ut ex eis tandem fiat lux!

Machina Anticytherorum re vera est mechanicum computatrum astronomicum adhibitum ad prædicendas corporum cælestium positiones, præcipue Lunæ et Solis. Machina constabat ex 37 rotarum coniunctionibus e quibus 30 supersunt.

Machina eclipses quoque prænuntiari poterat; positio Solis erga Lunam et eclipses iterantur eodem ordine intra idem temporis spatium, quod est 223 menses lunares vel 18 anni et 11 dies (cyclus Saros iam a Babyloniis notus); una e rotis habebat 223 dentes. Non solum dies eclipsis prænuntiabatur, sed etiam hora, quin etiam Lunæ color, qui idem non est post omnes eclipses.

In fronte machinæ pyxidis erant disci gradati in quibus acus indicabant positionem Solis Lunæque et Lunæ phases. In tergo pyxidis etiam erant disci, in quibus indicabatur status duorum magnorum cyclorum astronomicorum, qui sunt Saros scilicet et Metonicus.

Pars machinamenti ad Lunam spectans constabat ex ingeniosa rotarum combinatione, qua variatio celeritatis Lunæ in orbita sua etiam accurate reddebatur. Anni præcipuorum ludorum panhellenicorum quoque indicabantur.

Propter Græciæ divisione, nomina mensium eadem non erant in singulis civitatibus; in machina Anticytherorum nomina in discis inscripta pertinent ad Corinthum eiusque colonias, inter quas erant

Syracusæ; quare investigatores putant eam posteriore dimidia parte secundi sæculi a.Ch.n. confectam esse ab Archimedis discipulis.

Machina Anticytherorum nunc clarior facta est quam ipse ephebus. Historicorum opinio de Græcorum technica est funditus mutanda. In toto orbe terrarum post quindecim demum sæcula huiusmodi intricatum instrumentum iterum confectum est...

Qui plura de hoc mirifico instrumento comperire cupiunt, invisant exhibitiones de hac re institutas, Parisiis in Museo Artium Artificiorumque usque mensem Iunium a. 2013, Athenis in Archæologiæ Nationali Museo usque eiusdem anni mensem Aprilem. ☞



*Machinæ Anticytherorum recreatio facta secundum novissima inventa.*

## ARS LONGA, VITA BREVIS

Hippocrates, *Aphorismi*



## DE TORQVATI TAXI CARMINIBVS LATINIS

– scripsit Paula Marongiu –

Inter opera Torquati Taxi (Sorrenti 1544 - Romæ 1595) Icarmina Latina videntur aliquid parvi momenti esse, de quibus viri docti cursu temporum nimis, ut ita dicam, festinanter tractaverunt, quamvis ageretur de auctore clarissimo, cuius omnia digna essent quæ considerarentur. Quæ carmina autem semper difficilia fuerunt inventu, et necesse fuit, ut omnia simul legi possent, editionem Torquati Taxi exspectare ab Ioanne Rosinio anno 1831 paratam.<sup>1</sup> Postea Antonius Martinius, Regiæ Bibliothecæ Parmensis præfectus, anno 1877 et anno 1895 occasione data trecentissimi anniversarii poetæ mortis, denuo carmina publicavit.<sup>2</sup> Cum adhuc editio critica omnium operum desideretur, carmina Latina a Francisco Pavone quoque præbentur, qui anno 1968 ea vulgavit, et explanavit et præmio ornavit.<sup>3</sup> Quod autem ad textus traditionem attinet, ad codices et manuscripta autographa sæculo XX mediante multa docte sciteque scripserat Antonius Altamura.<sup>4</sup>

Temporis ordine servato – quod Franciscus Pavo turbat, cuius editione tamen utar – in animo habeo hæc carmina attentius recensere, ut eorum conexus cum aliis scriptis melius appareat et probentur ea aliquid magis quam academica exercitatio<sup>5</sup> secundum usum sæculi XVI esse et, contra Angeli Solerti biographi eius<sup>6</sup> opinionem, non auctoris indigna.

Primum notandum est tantum de novem textibus<sup>7</sup> agi, quorum versus aliquando etiam duri et incompti iudicari possunt. Quod autem non significat Taxum Latinam linguam non bene callere. Sæculo XVI contra Latini auctores exempla maxima fiunt, quos fideliter probeque Itali sequuntur, secundum varia genera scribendi quæ viri docti constituunt. Hoc sensu is homo temporum proprius re vera videtur.

Sufficit enim vitam evolvere a Petro Antonio Serassio abbate sæculo XVIII compositam. Hic legimus, post trium annorum apud collegium Iesuitarum Neapolitanum institutionem, decimum annum agentem, eum tam bene Latine didicisse et Græce discere incepisse, ita ut orationes et versus publice pronuntiaret et anno insequenti Romæ ei facultas esset Cristophorum consobrinum his linguis subdocendi. Quod studium patre suadente, Bergomi, Pisauri, Venetiis usque ad annum 1559 perrexit.<sup>8</sup> Hoc quoad scholare curriculum. Sed certe verisimile est Taxum textus Latinos per totam vitam lectitasse. Tum quæstio oritur, cur tam magnus poeta cum Italice scriberet, tam pauca et non insignia carmina Latina exaraverit. Cui rei respondere possumus, sæculo XVI mediante, temporibus iam modernis, Latine penitus nosse ingenium poeticum Latine exprimere non iam significare, ut fecit contra, etiam recenti ætate, ex gr. Ioannes Pascolius;

præterea obliviscendum non est magnam partem versus ab ultimis vitæ annis repeti, quibus Torquatus, æger, infirmus, immatura senectute confectus, magno cum labore componebat et plerumque necessitate ductus principes, cardinales, pontificem laudandi ut gratiam et beneficia impetraret.

Quæ cum ita sint, non aliud restat nisi versus explicare et videre in quibus rerum condicionibus orti sint, quo modo cogitatis eius de arte poetica respondeant, cum quibus Italicis poeticis scriptis comparari possint, quos antiquos auctores poeta imitatus sit.

Primum est carmen Asclepiadeum quartum *Ad nubes*<sup>9</sup> inscriptum, quod Petrus Antonius Serassius ut omnium pulcherrimum libenter laudat, cum doceat quid Taxus efficere potuerit, si in Latinis versibus componendis continuavisset.<sup>10</sup> Contra Georgius Ellingerus, sæculo præterito ineunte, affirmat eum tantum mediocritatem, id est quod poterat, esse adeptum.<sup>11</sup> Fortasse Taxus ipse huius rei conscius erat. Nam, antequam exeunte anno 1570 Aloisium Atestensem cardinalem in Francogalliam comitetur, cum Herculi Romanello mandat ut, si moriatur, omnia opera sua colligat et publicet, de hoc carmine probabiliter iam composito omnino tacet.<sup>12</sup> Verisimilius est eum, qui Ferrariæ in aula Atestensi decennium felix (ab anno 1565 ad annum 1575) vivit, breve carmen parvi facere quod tantum exercitationem putat.

Hic poeta siccitate memorabili quæ admodum anno 1570 agrum Romanum affecerat, nubes implorat ut Pio V pontifici, qui hac de causa diu sacris ritibus et processionibus publice precatus erat, almam pluviam concedat. Quod autem in hoc carmine placet, sunt in primis fluentes versus:

Neptuni genus humidæ,  
Nubes, quæ volucris curritis agmine  
Qua cæci rapiunt Noti;  
Et vestro gremio cum sonitu horrida  
Mittit fulmina Iuppiter,  
Si quando in superos gens fera verticem  
Tollit, si veteres manu  
Lucos sacrilega polluit; hinc tonat  
Arx cæli, hinc micat ignibus  
Crebris. Vos placidæ frugiferos agris  
Imbris mittitis, et sata læta  
Humore alitis. Vos sitientibus  
Succos vitibus additis.

Inter eos præsertim, Vergili imitatione, notandi sunt ultimi quattuor, in quibus «sata læta»<sup>13</sup> imaginem terræ torridæ suadere videntur, humana specie indutæ,

quæ ab aqua vitam exspectat. Quod genus scribendi Vergilianum animadvertitur etiam in extremo carmine («Tandem o vos requiem date/ Fessis irriguo rore animantibus») transgressione verborum, commutatione, nec non agnominatione corroborato.

Sed præter ea quæ distinxi, aliquid de pontificis obsequio dicendum est, quod in versibus insequentibus patet: «Nubes vestra Pio fundite Maximo/ Quamquam gentibus imperat/, non hæc vestra Pius munera negliget». Opus est enim Taxo potentes homines laudare; qua de causa res mirum in modum sonant. Pluvia quam scimus Pium ut divinam gratiam imploravisse, fit munus nubium, homini tam magno certe non aptum, qui tamen id accipere dignatur.

Ad septimum decennium pertinent etiam duæ elegiæ *Ad Ioannam Austriacam*<sup>14</sup> Francisci I Tusci Magni ducis uxorem, anno 1578 mortuam, tempore scriptæ quo, post priorem captivitatem<sup>15</sup> Taxus, necessitudine cum Alphonso duce dissoluta, in animo habebat Florentiæ se collocare:

Est Helene forma, Lucretia magna pudicis  
Moribus, et sacra religione proba;  
Viribus eloqui Cornelia, lumine mentis  
Calliope, et claris Cynthia luminibus.  
Ergo omnes Ioanna refert nymphasque, deasque,  
Cum illarum cunctis dotibus una nitet.

Virtutis splendor, generis cælestis origo  
Impulit, et formæ gloriæ summa tuæ,  
Ut canerem te, sed tenuit me maximis horror,  
Cum te conspexi clarius esse nihil.  
Destiti ab incepto, sum muto redditus ore;  
Si potis est, Phœbus te precor ipse canat.

Brevia carmina cumulantur. Nam priore poeta dicit in Ioanna omnes virtutes feminarum clarissimarum inesse, secundo rogat ut Phœbus ipse versus faciat, quod sibi talis facultas non sit. Nulla causa est quod viri docti versus huius generis vituperent. Agitur enim de carminibus laudativis, quorum permulta is cursu vitæ suæ, maxime ultimis annis composuit, semper ut auxilium a præstantibus hominibus peteret. Ioannæ carmen Italicum quoque dicaverat eiusdem argumenti,<sup>16</sup> in quo Angelus Solertius memorat eum et Demetrium Phalereum<sup>17</sup> sequi, cum rhetoricis interrogationibus gravitatem adipiscatur (nam ex se quærit nonne magnæ ducissæ virtutes laudare debeat) et Aristotelem qui comparationibus et amplificationibus esse laudandum suadet.

Quæ notationes etiam ad hæc et cetera carmina



Torquatus Taxus a Scipione Pulzone anno 1573 pictus.

Latina explananda aptari possunt. Gravitatem autem facit lingua Latina ipsa, ut ait Taxus, multis consonantibus et longitudine versuum.<sup>18</sup> Præterea prius carmen etiam comparationem continet. Nam Ioanna pulchritudine, pudicitia, eloquentia cum Helena, Lucretia, Cornelia et postea, manifesta gradatione adhibita, ingenio et claris luminibus, cum deabus Calliope et Diana confertur.

Nunc necesse est ad priores annos noni decennii pervenire, ad annos qui mortem præcedunt, ut aliquid Latine exaratum inveniatur. Quod non miramur, cum maiestas linguæ Latinæ, ut iam diximus, gravitatem bene reddat, quam poeta huius temporis scriptis, maxime in *Hierosolyma capta* [*Gerusalemme conquistata*] anno 1593 publicata conficienda, *Hierosolymæ liberatæ* [*Gerusalemme liberata*] operis sui præcipui retractatione, consulto persequitur.

Ut clarius sit quibus condicionibus hæc carmina orientur, recordari debemus Taxum esse in Italia maximum poetam qui nunc, emendatione religionis reformatæ imperante, fit in carminibus pangendis illius gravitatis propugnator. Vincentius a Caprio<sup>19</sup> hoc sensu, in ambitu poetico Romano sæculi XVI exeuntis investigando, invenit poesin, etiam in rebus profanis (ex. gr. in amore), de sacro, id est de virtute, de laudatione, de defensione catholicæ religionis tractare, quæ omnia versibus dignitatem amplitudinemque conferunt. Ut hoc assequantur omnes poetæ ad Taxum se vertunt. Qua re non fortuito ex gr. Romæ anno 1591 corpus carminum huius generis, a quinquaginta poetis compositorum edendum curavit, honoris causa dominæ Flaviæ Perettæ Ursinæ,<sup>20</sup> Sixti V neptis. Poemata huius temporis Romæ et Neapoli scripta sunt, quibus urbibus poeta ægrotus, quietis impatiens, principum et cardina-

lium hospes vixit.<sup>21</sup>

Anno 1591 autem is elegiam *In obitu Alphonsi Davali Marchionis*<sup>22</sup> confecit. Alphonsus, clarissimus Hispanicorum exercituum dux, die 15 mensis Decembris Panormi obiit cum, ponte collapsio, equo in mare decidisset. Ei vivo, præter carmen quo una cum domino Ferdinando Gonzaga inter omnes imperatoris Caroli V duces laudaverat, duo cum dominam Laviniam Feltriam a Robore uxorem duxerat, duo cum liberi nati erant dicaverat; ei mortuo sonetum quoque.<sup>23</sup>

Textus autem dividitur in partes tres: prima poeta dicit eum morte esse raptum cum rebus gestis patrem et maiores suos æquavisset; secunda, quod non potuerant tanta pericula, eum necare valuisse lutum (id est pontem); tertia Neapolim non solum tristem esse sed etiam lætam quod eum genuerit et Romam piam sepulcrum, monumentum perenne, inter Scipiadas vel Cæsares ei præbere. Si sonetum de eodem argumento consideramus, animadvertimus quantum differat. Hic enim Taxus ad perniciosam pontis ruinam se confert, contra quam proelio dispari vir fortissimus nihil potest:

Cadesti Alfonso, e ruinoso il ponte

Te con armi ed armati in mar sommerse  
(vv. 1-2)

Tu, che sembravi all'animosa fronte

Orazio e chiuso il varco avresti a Serse  
Quando il giogo co'ceppi il mar sommerse  
E vendicar potei gli oltraggi e l'onte;

Davalo tu cadesti.

(vv. 5-9)

Nam repetitio verbi temporalis 'cadesti' [cecidisti] inexorabili fato mortem tribuere videtur. Re vera res sensibus, præsertim visui, sunt subiectæ, cum pontem collabentem et Davalum cadentem videamus.

Carmen Italicum illico post casus nuntium scriptum videtur. Elegia contra epigramma sapit et est herois commemoratio quem mors per sæcula consecrat. Loco 14 soneti versuum elegia per 24 versus panditur; distica linguæ Latinæ maiestate graviter res exprimunt. Sufficiet tantum nonnulla notare. Ex primis versibus magnus vir in pugna furore nobis occurrit:

Iam patris ingentis, iam prisca ingentia facta  
Aequabas gentis, iam metuendus equis  
Sive per infestas acies, seu Marte secundo  
Obstreperes clipeis, hostibus ense minax.  
Vasto animo, vastæ superabas avia terræ  
Dives avis, meritis impar et Hesperia,

Vel quæ nubiferas præterdit cursibus Alpīs.

(vv. 1-7)

Ubi 'iam' iteratum egregias res gestas inopinatae morti opponit. Quoad genus scribendi in hac prima parte conspiciendus est versus quintus in quo poeta non solum repetitione et polyptoto utitur («vasto/vastæ»), sed etiam baroca ratione nomen (Del Vasto) amplissimi generis, quo Alphonsus natus erat, significare vult.

Consideratio nostra autem in 'nubiferas' intenditur et in 'armipotens' quod paulo post eminet («Quem Mars exuviis auxerat armipotens»), Enniana vel Lucretiana adiectiva composita, quæ gravitatem epici poematis propriam augent. Quod ad secundam partem attinet vis poetica colligitur, ut sæpe apud Taxum accidit, in quemdam versum: «Cum rapuit mors ultra virum, mors improba mersit» (v. 11); 'mersit' est a versu Vergiliano celeberrimo,<sup>24</sup> qui etiam in versu 16 adhibetur («Abstulit hunc lutum, sustulit atra Dies»).

Sed animadvertere possumus quomodo classicus auctor renovetur. Latinus pietatem erga infantes mortuos indicare vult, cum Italicus poeta contra duobus locis Vergilianis verbis usus, etiam quomodo Davalus, quem mors quasi virtute eius punire voluit, mortem id est in mari obierit, ostendat.

Mense Ianuario anni 1592 exeunte Taxus Neapolim petivit magnifico hospitio a Matthæo Capuano a Conca exceptus, cum ei nuntium allatum est die 30 mensis Ianuarii Hippolytum Aldobrandinium nomine Clementis VIII pontificem esse electum. Statim enim spes ei affulsit meliores vitæ condiciones Romæ inveniendi; qua re duas epistulas Antonio Costantino amico suo et quattuor Statilio Paolinio summi pontificis secretario scribit, ut Romæ ad eum venerandum invitetur.<sup>25</sup> Quod mense Maio ineunte bene successit.

Nam poeta accipitur in palatio Cynthii, Clementis VIII nepotis, cui mense Decembri anni insequentis, cardinali facto, *Hierosolymam captam* est dedicaturus. Cynthius Aldobrandinius, litterarum studiosissimus, Academiam quandam condiderat. Inter eius sodales Antonius Guerengus numeratur, cui Taxus anno 1592 elegia se convertit (*Ad Antonium Guerengum Sacri collegii a secretis*),<sup>26</sup> qua eum ut poetam laudat («Parnassi sacer custos», v. 1) et astronomiæ peritum («Quando per ætherias auras nunc sidera lustras», v. 9), qui omnes ingenio suo superat («Quis tibi certet, quisque sequatur iter?/ Quis te Parnasso quærat, vel quærat Olympo/ O decus Aonidum, o decus Ausonidum?» vv. 10-12).

Spiritus autem, ut clare patet, est Lucretianus: («et



properantis aquæ nitidos accedere fontes,/ atque haurire iuvat», vv. 3-4).<sup>27</sup> [...] Inde arcana Deum victor, causasque latentes/ Pectore seu condis, carmine seu celebras/ [...] Nomen in astra ferens non ope Dedalea», vv. 5-6, 8).<sup>28</sup> Sed præsertim de satis eleganti carmine agitur, ut iis temporibus inter se invicem viri docti componebant. Itaque non miramur quod Taxus, in necessitudines gentis Aldobrandinæ ingrediendi cupidus, insignem Academiæ poetam Latinum Latinis versibus alloquatur. ☪

(continuabitur)

1. G. ROSINI, *Opere di Torquato Tasso*, Firenze, 1831, vol. XXXII, pp. 146-165.  
2. *Poesie latine edite e inedite di Torquato Tasso pubblicate con note dall'Avu. Antonio Martini addetto alla R. Biblioteca di Parma*, Parma, 1877. *Carmina Latina Taxi editio altera cum præmio et notis Antoni Martini*, Romæ, anno MDCCCXCV.

3. F. PAVONE, *I carmi latini del Tasso*, Catania, 1968.

4. A. ALTAMURA, *I carmi latini del Tasso secondo gli autografi di Napoli e di Parma*, «Biblion», II, 1959, pp. 124-138.

5. Cfr. F. PAVONE, *op. cit.*, p. 17.

6. A. SOLERTI, *Vita di Torquato Tasso*, Milano, 1895, vol. I, p. 789.

7. Ecce carmina ex ordine quo apud Pavonem succedunt: I (Altamura III) *Torquati Taxi ad Clementem octavum pontificem maximum heroicum carmen*; II (Alt. IV) *In festo coronationis pontificis ad eundem*; III (Alt. II) *In obitu Alphonso Davali Marchionis*; IV (Alt. V) *O præstans animi primævo flore iuventus*; V (Alt. VI) *Ad Ioannem Franciscum Guerrerium sive alium Iesuitarum patrem responsio*; VI (Alt. I) *Ad nubes*; VII (Alt. VII) *Ad Antonium Guereungum sacri Collegii a secretis*; VIII (Alt. VIII) *Ad Ioannem Austriacam*; IX (Alt. IX) *In eandem*.

8. *La vita di Torquato Tasso* scritta dall'abate Pierantonio Serassi e dal medesimo dedicata all'altezza reale di Maria Beatrice d'Este Arciduchessa d'Austria, in Roma, MDCCCLXXXV, pp. 47, 77, 79, 88-89.

9. F. PAVONE, *op. mem.*, pp. 65-66.

10. P. SERASSI, *op. mem.*, p. 163. Id iudicium a viris doctis quasi sine consilio et ratione repetitur, cum, quod raro accidit, Latinorum carminum fit mentio, ut ex gr. apud Aloisium Tonellium invenimus (L. TONELLI, *Tasso*, Torino, 1935). Huius carminis etiam Italica translatio solutis hendecasyllabis confecta exstat (U. A. AMICO, *Sole sub occiduo. Versioni dal latino*, Palermo, 1912, pp. 35-36).

11. G. ELLINGER, *Italien und der deutsche Humanismus in der neulateinischen Lyrik*, Berlin-Leipzig, 1929, p. 315: «Höher steht das oben an erster Stelle erwähnte Gedicht für Pius V. [...] Allein im Ganzen erhebt sich das, was Tasso auf diesem Gebiet geleistet hat, nicht über den Durchschnitt».

12. *Lettera a Ercole Romanelli in Le lettere di Torquato Tasso disposte per ordine di tempo e illustrate da Cesare Guasti*, Firenze, 1852, vol. I, pp. 22-24.

13. VERGILIUS, *Georg.*, I, 325; *Aen.*, II, 306.

14. F. PAVONE, *op. mem.*, p. 73. Ioanna, Ferdinandi I Austriaci filia, Francisco I Medici anno 1565 nupsit. Duæ elegiæ ascriptæ sunt Taxo et edita in opere c. t. *Carmina illustrium poetarum Italarum. Tomus nonus*, Florentiæ, MDCCXXII, p. 210. Arnaldus Bonaventura eas Italice transtulit et vulgavit in opere c. t. *La poesia neolatina in Italia dal secolo XIV al presente*, Città di Castello, 1900.

15. Anno 1577, ut inter omnes constat, alienatione mentis correptus, Taxus, conatus est cultro famulum icere, quem putabat se acupare velle. Tum Alphonsus iussit eum in quadam castelli cellula claudi unde fugit et per duos annos per Italiam erravit.

16. *Loda la serenissima Giovanna d'Austria Medici granduchessa di Toscana, Deggio forse lodar l'aurato albergo*, n. 1222, in T. TASSO, *Le Rime*, a cura di Bruno Basile, t. II, Roma, 1994, pp. 1247-1251.

17. Cfr. *Le Rime di T. Tasso*, a cura di Angelo Solerti, Bologna, 1902, vol. IV, p. 263. Demetrius Phalereus (350-283 a. Chr. n.) est Atheniensis orator et vir politicus in quem in arte poetica sua elaboranda Taxus attente incubuit.

18. Cfr. T. TASSO, *Discorsi dell'arte poetica e del poema eroico*, a cura di Luigi Poma, Bari, 1964, p. 29. De gravitate Taxi ante multos annos tractavit etiam Andreas Afribus (A. AFRIBO, *Torquato Tasso e certi piccoli dettagli di stile. Per una 'gravitas' della complessità*, in *Torquato Tasso. Cultura e poesia*, a cura di Mariarosa Masoero, Torino, 1977, pp. 257-264.

19. V. DE CAPRIO, *Sacro e profano a Roma in alcune raccolte poetiche del tardo Cinquecento*, «Studi Romani», I-II, 2002, pp. 35-52.

20. Corpus carminum *Tempio fabbricato da diversi coltissimi e nobilissimi ingegni in lode dell'illustrissima e eccellentissima Donna Flavia Peretta Orsini* inscribitur.

21. Cfr. S. F. DI ZENZO, *Tasso a Napoli e il soggiorno claustrale*, Napoli, 1979.

22. F. PAVONE, *op. mem.*, p. 45.

23. *Loda tra tutti i capitani famosi di Carlo V il signor marchese del Vasto [Alfonso d'Avalos] e don Ferrante Gonzaga, Era meta la gloria e l'universo*, n. 589, in T. TASSO, *Le Rime*, a cura di Bruno Basile, mem., t. I, pp. 563-564; *Celebra le nozze del signor duca don Alfonso d'Avalos, marchese del Vasto e di Pescara e della signora Lavinia Feltria della Rovere principessa di Urbino, O principe, più bello*, n. 887, Ibi, pp. 881-884; *Nel medesimo argomento, Nova Lavinia, che spietata dote*, n. 888, Ibi, pp. 884-885; *Nel nascimento di un figlio del signor marchese di Pescara, Tranquillo mar, ch'a la feconda terra*, n. 1227, Ibi, t. II, p. 1260; *Nel nascimento di una figliola del marchese di Pescara, Per adornare un'alma il Re del Cielo*, n. 1228, Ibi, p. 1261; [Per la morte di Alfonso d'Avalos], *Cadesti, Alfonso, e ruinoso il ponte*, n. 1507, Ibi, pp. 1704-1705.

24. VERGILIUS, *Aen.* VI, 429: «Abstulit atra dies et funere mersit acerbo».

25. A *Statilio Paolini segretario di Sua Santità* [da Napoli, 5/2/1592]; A *Statilio Paolini, segretario di Sua Santità* [6/3/1592]; *Ad Antonio Costantini* [16/3/1592]; *Ad Antonio Costantini* [17/4/1592]; A *Statilio Paolini segretario di Sua Santità* [17/4/1592]; A *Statilio Paolini, segretario di Sua Santità* [20/4/1592] apud C. GUASTI, *op. mem.*, V, pp. 85, 89, 90-92, 94, 94-95, 95.

26. F. PAVONE, *op. mem.*, pp. 69-70.

27. LUCRETIUS, *De rer. nat.*, I, 927-928: «Iuvat integros accedere fontis/ atque haurire, iuvatque novos decerpere flores».

28. LUCRETIUS, *De rer. nat.*, I, 75: «Unde refert nobis victor quid possit oriri», ubi Epicurus est victor quod naturæ arcane detexit.

## DIALOGVS MERCVRII ET ERASMI

– scripsit Daniel Blanchard –

ERASMUS. – Ave Mercuri! Quare hodie turba puerorum circumdatis illa, qui soleas procul ab oculis hominum vitam degere?

MERCURIUS. – Ave senex! Pueri, quos hic vides, sunt discipuli mei. Scholam enim condere statui.

– Quid docebis illos? Ut sollertes fures fiant? Nihil nisi dolos furtaque scis.

– Minime, vitam meam emendavi. Summo Deo hortante, honestatem nunc colo, neque volo fas violare.

– Unde hoc consilium scholæ creandæ? Nonne societatem argentariam condere poteras? Quam ob rem nunc institutionem puerilem curas?

– Mihi cordi est, quia humanam felicitatem curo.

Nuper animadverti plerosque iuvenes, qui laureati ex scholis evadunt, nullum dignum sibi victum invenire, atque tristi inopia affici, quoniam in rebus non solum arduis sed etiam vanis per annos sudaverunt, neque fundamenta rerum utilium didicerunt. In schola mea saltem oleum non perdent discipuli: acceptisque lauris honesto officio fungi eis licebit, et bono stipendio gaudere. De hac re ipsi et parentes grati erunt.

– Quænam sunt, quæ in scholis non docentur necessaria? Quænam utilia?

– In schola tua, ut aperte loquar, discipuli fastidiosarum inutiliumque disciplinarum mole opprimuntur, neque necessarium tempus habent, ut munus quoddam ediscant. Inutilia plane studia sunt, quæ pertinent ad officia, quibus numquam fungetur alumnus. Omnibus usui erunt mathematica, lectio scripturaque, rudimenta artis grammaticæ, œconomica. Non præteribo athletica, quibus augetur vis corporis, disciturque disciplina.

Quid autem dicam de historia? Quid de tædiosa intricataque philosophia? Quid de litteris? Quid etiam de litteris antiquis? Cui usui erunt? Quare, torve senex, cogis miseros pueros, ut scripta veterum barbatorum perlegant? Quid alumnis prodest, ut linguam Græcam antiquam, quam tu veneraris, calleant? Quomodo ex his nugis stipendium validum accipient? Hæc ad homines delicatos, ne dicam molles, effeminatosve pertinent, non ad operarios, mercatores, quibus patriæ opus est. Nullamne curam discipulorum tuorum habes, quos inediæ dicas miseriisque? Esne adeo cæcus, ut non videas eos post longa studia feriatos se gerere, et ab omnibus derelictos in paupertatem incidere? Fabrica mendicorum vere est schola tua.

– Immo eruditione sua multi ex discipulis meis claruerunt, necnon scriptis suis immortalitatem meruerunt.

– Cuius usus est immortalitas famelicis?

– Heu, monstra narras: discipuli mei a principibus divitiis aucti sunt, et honoribus, nec famem passi sunt.

– Apud mortuos non facile computatur tempus: de

rebus duorum vel trium præteritorum sæculorum loqueris. Tempora autem mutantur. Vide eos, qui recenter huc advenerunt: non multi supersunt Mæcenates isti vani, qui latinizantes quondam volebant circum se nebulones vestri generis. Ætas nostra, et novus ordo sæculorum, solis rebus favent utilibus. Somniis vanis non obruuntur nostrates.

– Quid tamen utilius quam hæc disciplinæ, quas tu ignare inutiles vocas? Exemplum tibi intellectu facile dabo: cecini olim in choro magistri Jacobi Obrecht, qui illo tempore per totum orbem terrarum claruit. Hodie musicus non sum, nec valeo, nisi inepte, cantiunculam puerilem canere. Multa autem apud eum didici, nec me pænitet harum horarum, quas in choro canens degi.

Ut de aliis disciplinis dicam, historia intellectum ætatis nostræ propriæ præbet, simul ac exempla moralia, militaria, aliaque. Quis digne civis dici poterit, qui numquam in philosophiæ rudimenta aliquantulum temporis incubuerit, populari regimine hoc florente, cuius tute fautor fuisti strenuus? Quis philosophica rudimenta habere poterit, nisi sedule linguis Latinæ Græcæque studuerit? In schola tua sine dubio aptos operarios paras, ego immo liberos cives. Mores erudio, ingenia expolio, doctrinam adimpleo. Ne timueris: bene eruditi homines semper sibi dignum officium inveniunt.

– Discipulos vero tædet obsoletarum rerum. Iuvenes, qui nunc sunt, computatris uti cupiunt, et ludicre discere. Mores bonos allegans, libertate dicendi vel censendi miseros privas, ac in odium eis venis.

– Sine disciplina nihil fit boni.

– Immo sponte sua discant discipuli oportet.

– Discipulos ergo multos perdes, nam rarissimi pueri sponte sua sedulo student.

– Solventibus parentibus scholam immo magis respiciunt, nec verba magistri despiciunt.

– Ego saltem gratis scholas meas impertio. Magister sum, non mercator. Nonne solis servis pecuniosa negotia servabat Cicero?

– Vide quid factum sit de isto, qui toto die ineptias plena voce declamaret in foro. Campos Elysæos circum se vacuos facit, nec scimus, qua de causa umbris felicibus obtigerit tale supplicium. De eo hactenus. In schola mea solvendum est. Hoc est verum. Id tamen nemini nocet. Omnes enim discipuli, cum cursum studiorum peregerint, laute stipendiato officio fungentur. Poterunt illo tempore debita scholastica persolvere. Mensæ argentariæ ad hunc usum creatæ sunt. Apud nos licet inter annos centum solvere: difficilium erat in terra viventium.

– Solvent, nisi ære alieno opprimantur. Nam peracto cursu studiorum, quid antiquius est iuveni, nisi

domum sibi emat? Pretia domorum in Campis Elysæis tuorum cura immodica fiunt: iuuenibus non licebit et domum et debita pristina solvere.

– Solutionem pro eis inueniemus. Quam ob rem umbrarum dux vocor, vel psychopompa.

– Ad inferos eos mittes, qui solvere non valebunt, te novi, aut in servitutem rediges...

– Redeamus ad rem: discipuli in schola mea minus conqueruntur ac dolent, quam in tua. Id negare non potes.

– Negare possum, nec me audies.

– Apud me discipuli iuventutem iucundam degent, proprium ingenium inquirent et colent. Sic post multos annos optimæ memoriæ eis erit tempus, quo studuerunt. Quid autem de tuis discipulis dicam? Onere pensorum opprimuntur, nec minima libertate fruuntur dicendi, vel agendi; unde sensus critici expertes, ingravescente ætate hæredes fiunt arrogantia istius morositatisque tuæ.

– Ecce quid novi, quod prosis ingenio indolive discipulorum tuorum! Num eos fortiores, sapientioresve facies? Doctos, eruditos? Virtute præcellentes?

Minime: immo si quis eorum pigræ indolis est, sines eum pigriorem fieri. Vide eos: scholam frequentant pretiosis vestibus induti, inter se nugis contendunt, nec tolerabunt lectionem vel brevissimam memoriæ mandare. Pigri sunt, superbi et lascivi. Magis curant vestimenta, rædam, telephorum, nugas alias electronicas sibi emere quam eruditionis virtutisve culmina attingere. Qua re ergo ex parentibus eorum pecuniam accipis? Ecce novum furtum, inauditumque dolum!

– Parentes volunt ut liberi sui liberam, iucundam, modernamque institutionem accipiant. De hac re me ipsi sæpissime certiores fecerunt, eisque continuo flagitantibus scholam hanc condere statui. Miseri enim in iuventute coacti sunt ut apud magistros tuæ farinæ studerent, neque volunt proli suæ talia fastidia imponere, sed ex me novam studiorum rationem poposcerunt. Hoc anno plus quam centum discipulos accipere non potuimus, quia multi liberos suos cura mea institui cupiebant. Nonne tamen apud te minuitur numerus alumnorum?

– Minuitur certe, quoniam multi discipuli severam loci famam timent. Nec autem eis nocere volo; immo eis prosum, qui eos ingenuos viros facio.

– Vitam ingenuam discunt, qui plus quam asini in labore sudant?

– Bene audisti. Discipuli tui, qui numquam vere sudabunt, nec improbum laborem exercebunt, sed quibus fere omnia iam conceduntur, sensim servi fient.

Servient enim superbiæ, pigritiæ, lasciviæ, innume-

risque cupiditatibus suis, quibus nullus frenus imponetur umquam. De hac re parentes non mones, prolem suam propter immoderatas cupiditates servos omnium mercatorum fieri... quorum tu deus es! Nonne potius pueris expedit, ut discant omnibus rebus carere, quæ indesinenter hodie laudantur, sed quæ nemini prosunt, nisi cui vendit?

– Iure discipulos tuos ad paupertatem paras.

– Ad paupertatem? Immo, ad libertatem. Quid enim servo voluntario turpius? Cuius cupiditates, cogitationes, consiliaque sibi detrimento sunt? A teneris unguiculis in schola tua assuefacti erunt emere quotiescunque levissima cupiditate titillabuntur, quia non solum eos continentiam frugalitatem parcitatemve non docebis, verum etiam mores, sensum pulchri, habitusque iuxta commoda tua, non eorum, informabis. Captivos eos mercatoribus trades, quam ob rem iam eos servos esse dico.

– Poterunt et ipsi mercatores esse: officium nobile num est?

– Nescient autem alienis commodis non servire, probitatemque suam tueri.

– Sic in societate creantur novæ divitiæ: cupiditas non est malum, cum homines incitat.

– Quibus creantur divitiæ istæ? Certe non discipulis tuis, qui totam vitam degent, ut res inutiles emant, et alios divitiores reddant. O fraudem magnam! Quos libertate, iucunditate, divinoque præstigio allicis, in servitutem redigis per malam institutionem emollitionemque animi.

– Vitam facilem, amœnam eis paro. Nonne id omnes volunt, voluptuose vivere, et a curis soluti?

– Voluptas vere hamus est periculosus, quæ improbi laboris præmium oportebat esse: tua causa in venenum vertitur.

– Denuo sicut vetus barbatus loqueris. Tace: ista cantione fessi sunt omnes. Te diutius non audiam, expectant me discipuli. Ut rectius dicam, multa ex me expectant. Quia ego, meliorem vitam solus polliceor.

– A pernicie ista probo studio alumnos mihi creditos servabo. Vale, o furum princeps! ☞☛

## DE RE ŒCONOMICA INTERNATIONALI (II),

DE IVSTITIA SOCIALI INTER GENTES MVNDI AC DE CALAMITATIBVS GENERI HVMANO IMMINENTIBVS

– colloquuntur Heini Kukkobovi et Samius Jansson –

(ac personæ etiam ex Erasmianis colloquiis ludisque Plautinis interdum sermones inserunt)

**ANTRONIVS.** Arbitror illos bene vivere qui vivunt  
suaviter.

**MAGDALIA.** Sed ista suavitas unde proficiscitur, e  
rebus extrariis, an ex animo?

**ANTRONIVS.** E rebus extrariis.

**MAGDALIA.** Dic mihi, quibus rebus tu metiris  
suavitatem?

**ANTRONIVS.** Somno, conviviiis, libertate faciendi quæ  
velis, pecunia, honoribus.<sup>1</sup>

**SAMIUS.** Deinde de pecuniæ collocatione per bursam  
internationalem – quid censes de mediatoribus bursæ  
et collocatoribus pecuniæ? Potesne iudicare, quid eos  
incitet ad pecuniam collocandam?

**ARISTOTELES.** Nam qui in pecuniæ quærendæ studio  
versatur, ad vim alteri inferendam facile impellitur: et  
profecto in divitiis non est id bonum, quod quærimus,  
positum. Illæ enim utiles sunt duntaxat, neque propter se,  
sed propter aliud expetendæ.<sup>2</sup>

**EVCLIO.** Nam veri simile non est hominem pauperem  
paucillum parvi facere quin nummum petat.<sup>3</sup>

**HEINI.** Difficilia me rogas, nam haud multum de  
bursa internationali scio. Sed mihi fingam eos liben-  
tissime cum societatibus mercatoriis satis magnis  
negotia agere, quarum potentia lucrum faciendi fortis  
est. Ita eorum interest, quomodo se antea habuerit  
societas quæcumque et quo statu in præsentem se susti-  
neat, maxime tamen illud manifesto, quantum lucri  
possint sibi accumulare. De hac re tibi fusius respon-  
dere nescio.

**SAMIUS.** Ita finis collocationis pecuniæ est quæstum  
augere collocatorum ac præsidum directionis generalis,  
qui societates mercatorias gubernant, iustitia autem  
socialis minime?

**HEI.** Illud argumentum fere accipio per se, sed societas  
quæcumque debet curam habere de rebus socialibus et  
ethicis, neque ad se operarios attrahere nec quidem  
illos adauktorare possit, nisi propalam curet de hisce  
rebus diligenter. Talis usus societati patronæ velut tes-  
sera triumphalis est, sed illud potius velut artificium  
commendaticium est, nam primum vigent certæ leges  
ac secundo possunt societates ratione certa mercatoria  
istunc finem appetere, ut suis eluceant virtutibus cir-  
cumiacentia servandi vel devolutionem sequendi dura-  
bilem, sicut e. g. Neste Oil<sup>4</sup> inter alia providet petro-  
leum viride.

**SAMIUS.** Quale est illud viride petroleum?

**HEI.** Hanc rem haud penitus cognovi, inexperta sum,  
sed fingo mihi societatem Neste Oil imprimis adhibere  
methodos amicæ circumiacentiis naturalibus. Ergo  
Neste Oil cupivit, ut emptores petrolei censerent eam  
esse viridem societatem, talem igitur famam de se ipsa

divulgat. Et quod Neste Oil est societas Finnica, certe  
verba sua defendit veris rationibus. Valde aliter se  
gerunt plurimæ aliæ mundi societates mercatoriæ.

**SAMIUS.** Estne certum<sup>5</sup> Finnicas societates se gerere  
honeste veritatemque verborum sincere defendentes?

**MEGARONIDES.** Quia omnis bonos bonasque adcurare  
addecet, suspicionem et culpam ut ab se segregent.

**CALLICLES.** Non potest utrumque fieri.

**MEGARONIDES.** Quapropter?

**CALLICLES.** Rogas? Ne admittam culpam, ego meo sum  
promus pectori: suspicio est in pectore alieno sita.<sup>6</sup>

**HEI.** Ex ea cognitione, quam ipsa accipi inter se cultu-  
ras mercatorias variarum societatum comparando,  
concludo Finnicas inter societates honestissimas nume-  
rari. Finni tamen aliquando admodum rusticis moribus  
negotia agunt, dum sæpe plane directe sua cogitata  
enuntiant. Habemur forsitan paulo ingenio simplices,  
dum directe de aliquo negotio quicquid in buccam  
venit faucibus hiandis emugimus, ubi inter plurimas  
alias gentes de negotio quocumque primum non aperte  
et foris sed clam dumtaxat secretisque in cameris sit  
colloquendum. Itaque pro certo habeo plurimos alia-  
rum civitatum cives Finnum firmitati semper pacto  
standi confidere. At minime sum patriæ amore affecta,  
sed hac in re libenter confiteor me Finnos habere  
honestissimos negotiatores. Infeliciter tamen aliquando  
Finnum virtus honeste loquendi stultitiæ potius est.

**PALÆSTRIO.** Eru' meus elephantini corio circumtentust,  
non suo, neque habet plus sapientiae quam lapis.<sup>7</sup>

**SAMIUS.** Credisne Finnos decipi extra fines Finniæ, dum  
negotia ibi curant?

**HEI.** Immo Finni re ipsa admodum rerum periti sunt  
ac proinde vix dolo decipiuntur, sæpe etiam argumenta  
vera proferunt et acutissime valent præsumptas coniec-  
turas clandestinas perspicere. Finni etiam sunt valde  
pertinaces ac in sententia sua firmiter perseverantes,  
sed stultitiæ dumtaxat est loqui de rebus, quas non est  
opus patefacere.

**PALÆSTRIO.** Nam tibi iam ut pereas paratum est  
dupliciter nisi suppressis tuom stultiloquium.<sup>8</sup>

**SAMIUS.** Deinde rogo te, quid censeas de iustitia inter-  
nationali ac de civitate industriali. Civis qui vivit in  
civitate industriali, num modus eius vivendi sit dura-  
bilis? Scisne explicare, cur hominum opulentia in  
orbe terrarum distributa sit inæqualiter? Certe memi-  
nisti, quid antea de his rebus tibi rettulerim per cur-  
sum electronicum.<sup>9</sup>

**HEI.** Memini et saltem si vera scripsisti, civis urbanus  
hodiernus non vivit durabiliter.

**SAMIUS.** Cognoverasne antea istas numeris explicatas  
rationes, quas tibi proposui?



HEI. Non cognoveram, et valde studium excitabant mihi. Ergo ex istis rationibus concludi licet vitam urbani civis non esse durabilem vel saltem minus esse durabilem quam in multis rebus publicis egentioribus.

SAM. Audistine umquam sic computatum esse, si omnes incolæ Terræ viverent modo Americano, tam vehementem consumptionem poscere quattuor planetas Telluri similes?

HEI. Numquam illud audivi, studia quidem excitat consumptionem variarum civitatum sic inter se conferre.

SAM. Consumptio civitatum conferri potest per vestigium œcologicum, quod ex energiæ usu computatum est. Itaque computari potest, quantum quæcumque civitas consumat olei, carbonis, gasi etc. Si æqua capacitas consumendi, quæ Americanis est, omnibus civibus esset Sinæ et Indiæ atque Africanis, nempe autocinetum cuique, magna domus calefacta, domuscula æstiva, frigidarium et nescioquid, una Tellus non posset sat rerum providere omnibus incolis suis. Hodie autem plurimi Terræ incolæ divitiis minime sunt decorati, sed potius in paupertate vivunt.

HEI. Illud iniustum mihi videtur. Ista rerum condicio originem suam trahit ex historia œconomica, recentibus bellis in quibus potestas politica internationalis distributa est. Facile non mutantur structuræ potestatis illæ sine tumultibus conturbationibusque politicis. Ita mutatio culturalis melius fungitur et scientia vera, qua homines recte erudiri possunt. Americani opes consumunt, ut luxuria sibi petant, non ut simplicia sibi accipiant necessitate, sed similia petunt ac convicini sui. Istæc ratio cogitandi forsitan mutari possit, nempe quid sit luxuriosum et quid satis esset nobis, sed difficillime dumtaxat fit, nisi et hanc rem mandemus societatibus mercatoriis, ut decernant, quales res vendendo distribuunt. Ita facillime rectius fit.

SAM. Nonne societates multinationales imprimis lucrum petunt? Servitia enim exportant ut sumptus sibi parcant. Credisne eas verisimiliter responsalitem sibi suscipere?

HEI. Terminis agendi constitutis, ita, illam suscipiant oportet, aliter eis negetur agendi licentia.

SAM. At quis istos terminos constituat? Exsistunt enim variæ res publicæ variis legibus præditæ. Et rerum publicarum regiminis membra libenter negotia agunt curantes, ut sic attrahant influxum pecuniæ intra fines suos. Hic iuvat distinguere inter formalem et informalem œconomiam. Mercatoriarum societatum valde referunt homines, qui remunerati opus faciunt in œconomia formali et emunt varias res, quas ipsi sibi non faciunt. Verum, œconomia informalis est talis, in

qua homines pecunia non utuntur sed omnes res sibi ipsi faciunt et nihil emunt.

HEI. Ita est.

SAM. Itaque respectu rei publicæ capitalisticæ et societatum multinationalium talis optima rerum condicio esset, qua omnes consumerent multum sed simul valde humilem sibi remunerationem approbantes, quæ tamen sat valeret, ut possent res offertas sibi emere.

HEI. Sic est. Talis est manifesto optima rerum condicio macro-œconomica. Quomodo mutari possit?

SAM. Iam locuti sumus de paupertate. Sed quomodo orta est gens egentior et cur paupertas exsistit? Qua ratione paupertas de mundo deleri possit?

HEI. Paupertas quæ est? Excrucianturne homines paupertate? Nonne potius est nostra ratio cogitandi, qua existimamus pauperem esse talem, qui caret foco microundali vel machina lavandi. Fusius debet investigari hæc res. Ipsa enim in India visitavi mapalia egena et certior sum facta pueros et puellas ibi multo feliciores esse quam nostra progenies, nam ibi non inter se pugnant e. g. de hoc, quando cuique ludo Nintendo ludere liceat. Sed rogandum est, quomodo omnibus tutela fundamentalis sit provisiva et omnes possint vivere hygienice possidentes ius vivendi facultatemque se ipsum erudiendi. Si hanc rem respectu mundi œconomici examinamus, ipsa non intellego, cur societates mercatoriæ non sint coactæ tantum et tantum pecuniæ certis foundationibus donare.

SAM. Equidem illud bene intellego, nullum enim institutum internationale exsistit, quod talia observet. Si multinationales societates nimis coactas se esse sentiunt, nihil obstat, quin servitia et opera transmoveant e re publica quacumque ad alteram. Res publicæ singulæ debilem positionem negotiandi habent contra societates multinationales. Nationales societates multo firmiter reguntur ab eis. Ergo si societati cuicumque contingit, ut internationalis fiat, sic etiam se a potestate rerum publicarum potest expedire.

HEI. Recte dicis. Forsitan debeamus habere ordinem internationalem ad rem curandam duce scilicet Baraco Obama vel aliquo, qui re vera talia possit efficere. Obama ex Americæ Civitatibus Unitis et aliquis æqua potestate ex Sinis et Europa, quorum verba fortem effectum habeant.

SAM. At Obama iam est conatus. Ubi enim sermones habebat ante electionem, Obama valde œcologicam et sociali-democraticam speciem de se ipso voluit vulgo Americano monstrare. Sed pristini præsentis Georgii W. Bush consultatores œconomix et rei publicæ internationalium relationum periti dearmaverunt eum. Ita politica neoliberalistica adhuc fortiter viget. Ipse ægre fero,

quod Obama videtur esse devictus. Quod enim nunc videmus, hoc est cacumen montis glaciarii et sub superficiem oblitescunt iidem consultatores, qui ipsi creaverunt ordinem istunc œconomicum. Dixisti te Indiam visitavisse ibique mapalia vidisse egena. At valde felix eras, si tam leviter per mapalia ista ambulare poteras. Etiam ipse visitavi civitates egentiores, Chiliam enim, Peruviam et Æthiopiam. Ibi paupertatem pessimam vidi, quæ dolore pectus meum affecit lacrimisque implevit oculos.<sup>10</sup>

HEI. Hem, quod dixi, nempe homines esse felices in mapaliis, sit fortassis nimis duriter dictum et sine iustificatione dumtaxat. Non ignoro vitam ibi esse iniustam. Tibi assentior hac in re. Aliquid est faciendum. Sed quæ sunt pessima problemata, quæ imprimis sint suscipienda?

SAM. Quid censes? Cur mapalia egena sunt orta? Cur existunt in civitatibus egentioribus? Quam ob rem nobis in Finnia non sunt mapalia?

HEI. Res publica Finnica vectigalia colligit et illa socialis... ita est, democratia socialis nobis instituta nostra paravit. Finnia est parva res publica, qua de re ista socialis democratia potest vigere, sed vix viget in magnis rebus publicis, quæ incolis impletæ sunt nimis numerosis, et quæ nimiam immigrationem intra fines suos non possunt impedire. Semper adsunt civitates, quæ non habent æquas vitæ condiciones atque aliæ, civitates feliciores. Illæ res publicæ, in quibus existunt mapalia egena, causa mihi ignota non potuerunt creare ordinem similem ac nos potuimus. Nolo dicere illud iustum esse, sed facile est dictu mihi, quæ nata sum aureo cochleari inserto in ore.

SAM. Anthropologiæ professor David Harvey<sup>11</sup> perspicaciter explicat, quomodo orta sint egena mapalia. Hæc res attinet ad originem rerum publicarum nationalium et effectum colonialismi. Colonia, postquam liberatæ sunt ab imperio Occidentalium rerum publicarum, imitant Occidentalem rationem administrandi. Et idem in eis factum est ac in Occidente, nam coloniarum ordo politicus est neoclassico-capitalisticus. Itaque nihil talibus in rebus publicis obstat, quin pecuniæ collocatores internationales sibi emant magnas partes terræ ad suum usum privatum œconomicum. Harvey censet illud imprimis esse problema, quod nil impedit, quominus pecuniæ collocatores facile cum regentibus optimatibus novæ rei publicæ pangant, ut sibi usurpent novas regiones. Ita capital accumulatur indigenas gentes dislocando, id est, incolas repellendo ex eorum patriis regionibus, ut societati multinationali mercatoriæ atque optimatibus rei publicæ commoda ac lucrum producens industria in

eadem regione possit inaugurari. Ita pars populi emigrare cogitur. Pars altera adauctoratur, sed minima quidem remuneratione, nam novæ res publicæ egentiores scilicet improbant ordines artificum professionalium. Ita pactum nonnisi inter optimates et societates confirmatur.

HEI. At certe quodammodo omnium eiusdem terræ incolarum condiciones vivendi sic emendantur, sed nimis raris civibus commodo est.

SAM. Cur debent omnes terræ regiones fieri res publicæ nationales capitalisticæ? Talisne est destinatio gentium sola et ultima? Nihilne aliud optare valemus? Oportetne necessario totus mundus se applicet ad vitam consumeristicam?

HEI. Eheu minime. Res publicæ capitalisticæ ipsæ debent mutari alia quadam ratione. Communis ordo nescioqualis mundanus... Antea mundus tali non indigebat. Sed ut dixisti, plane nullum existit institutum mundiale ad hanc rem curandam, quod valde dolendum est. Mundializatio facta est celerrime, et nemo potest dirigere tam immensas res. Ultimum discrimen œconomicum afflixit e. g. industriam mundialem technologiæ computatralis. Propter illam technologiam possumus negotia agere trans fines rerum publicarum. Ordines autem politici lentius mutantur. Ac paulo tardius mutatur et infrastructura. Sed videmur ad tale futurum dirigi, nam quæstiones mundiales publice disputantur, sicut calefactio mundialis et circumiacentium naturalium condicio.

SAM. Res publicæ nationales infrastructuram construunt hunc ad finem, ut ad se societates mercatorias attrahant, nam hæ nolunt intrare regiones infrastructura carentes. Itaque, si res publica quædam cupit fieri internationalis, ei nullum aliud propositum operæ pretium est suscipere, quam vias, portus etc. construere. Aliter enim redigitur in categoriam imam ut Corea Septentrionalis, si fines occludit sibi et nihil construit. Si mundialis œconomia in discrimine labitur, ne pecuniæ collocatores tunc exeant, omnes res publicæ decenniis recentibus infrastructuram novam addiderunt in territorio suo sperantes fore, ut incrementum œconomicum sibi recrearent.

HEI. Consentio. Sic facere necesse est.

SAM. Et sic explicatur, unde fiat, ut circumiacentia nobis et aliis animantibus deleatur. Videlicet causa isti calamitati est nova infrastructura ubique expansa.

HEI. Hem – ita est, sin enim infrastructura perperam construitur, in locis ineptis et secundum propositum ineptum. Sin autem homines ferrivias construunt potius quam volando se vehunt, hæc mihi videtur esse res speranda...

EPILOGUS

Etiam longius collocuti sumus, ego et Heini, sed hoc in loco interrumpatur colloquium, ne nimis longa hic fiat eius relatio. Res publicæ nationales infinita æmulatione inter se captæ esse videntur. Technologia hodierna efficacissima et energia e fomitibus fossilibus hausta fortificat humanam industriam, qua omnes res publicæ hodie construunt et designant facultates ad incrementum infinitum œconomix, et hunc finem petunt omnes videlicet societates mercatorix. *Hæc nova, quæ præter consuetudinem ac morem maiorum fiunt, neque placent neque recta videntur.*<sup>12</sup> Maiores nostri nos sapientia longe superabant, nam per maiores intellego gentes autochthones, quibus opus non est œconomiam suam semper duplicare, ut ditiores fiant.<sup>13</sup> Eorum vivendi modus durabilis licet vocari, sed nos homines urbani infeliciter videmur viam ad œcologicè durabilem vitam redeundi nobis ipsis occlusisse. Verum, cognovi plurimos, qui non vident imminens discrimen humani generis. Fortuna beatos obcæcat. ☞

fabæ cafeariæ, musæ (palæ sive bananæ), in Occidentem importantur iniqua ratione permutandi. Hac enim in permutatione Occidentales res publicæ utilitatem capiunt, egentiores autem detrimentum. Ita capital, informatio et opes defluunt ex remotis partibus egentiorum rerum publicarum in cardines Occidentales, velut Londinium, Lutetiam, Novum Eboracum et Sanghævum, quæ mundiales urbes sunt maximæ potentiæ. Et porro, si totus mundus ederet tantundem carnis, quantum devorat civis Occidentalis, totius terrarum orbis agri valerent nutrire haud plura quam dimidium et tria miliarda (mille miliones sive secundum breves scalas biliones, 10<sup>9</sup>) hominum. (Videte quid dicat Robert B. Jackson de capacitate portandi sive terræ biocapacitate in opere *Campbell Biology*, 9th ed. 2011, 1236-1237).»

10. Videte symbolam *De itineribus ad Americam Latinam et Æthiopiam* in Melissa 155/2010.

11. <http://davidharvey.org/>

Geographus David Harvey hodie curat sedem professoris Anthropologiæ in urbana universitate Novi Eboraci (CUNY = City University of New York).

12. Ex edicto adversus Latinos rhetores (Latin Library <http://www.thelatinlibrary.com/leges.html>).

13. De autochthonibus gentibus:

<http://www.icrainternational.org/autochtones/index.php>.

1. Erasmus Roterodami *Colloquia familiaria, Abbatis et Eruditæ colloquium*, vide lineas 17-21.

2. Aristotelis *Ethica Nichomachea*, lib. I, cap. 5. ὁ δὲ χρηματιστῆς βίαιός τις ἐστίν, καὶ ὁ πλοῦτος δῆλον ὅτι οὐ τὸ ζητούμενον ἀγαθόν· χρήσιμον γὰρ καὶ ἄλλου χάριν. *Latine a Dionysio Lambino conversa*, pag. 7. Ex Officina Erasmiana, apud Vincentium Valgrisius, Venetiis 1558.

3. Plauti *Aulularia*, III-III2.

4. <http://nesteoil.com/>

5. Greenpeace condemnat societatem Neste Oil: <http://energie-climat.greenpeace.fr/la-revue-du-web-du-petrole-du-28-janvier>.

6. Plauti *Trinummus*, 78-82.

7. Plauti *Miles gloriosus*, 235.

8. Plauti *Miles gloriosus*, 295.

9. «Vestigium œcologicum Americanum obtegit hectariorum decem, at in sensu œcologico, dum observamus terræ superficiem productivam et relinquimus nonnullas areas protegendas naturales, durable vestigium haud latiorum quam aream 1,7 hectarearum contegit. Vestigium œcologicum Africanum minus quam unius hectareæ aream tegit. Et energiæ consumptio civium Occidentalium, velut in Americanis Civitatibus Unitis, in Canada et Norvegia, tricies superat Africanam consumptionem, ex qua, bene notandum est, proportionem octoginta per centum deducimus fomites comburendo fossiles, quorum tamen usus nobis esset deponendus si serissime anno MML, nisi cupimus efficere, ut Terræ nostræ clima effrenate calefiat. Etiam alimentum distributum est inæqualiter, nam cives Occidentales accipiunt alimentum supra necessitatem, dum simul cives in rebus publicis egentioribus fame laborant. Ita penuriam non efficit alimenti egestas, sed cibi partitio inter Terræ incolas inæquabilis. E rebus publicis egentioribus opes, ut petroleum,



*Heini et filia Ayla.*

## RECORDATIONES IN LAGOENA METALLICA

– scripsit Joannes Teresi –

Sæpe etiam mihi contingebat nocte vigiliarum munus. Quamvis essem adulescens, nec etiam perfecissem cursum honorum munere militiæ sustinendo, tamen quod mihi datus esset pyrobolus cum telis, nullum dubium mihi erat quin conscius iam essem me sectatorem factum esse factionis pugnantis contra sicarios hitlerianos. Attamen confiteri neque minus possum nunc harum vicium nocturnarum me paulum tæduisse.

Noctes autumnino incipiente frigidæ factæ erant; stridores noctuarum, singultus queruli buborum, strepitus vulpium, minime timentium ne descenderent ad pagos, exaudiebantur; rumores nonnulli pariter incitabant canes qui statim latrabant. Montes, abietibus et pratis plerumque ornati, ex eis alii virides, alii præditi cuspidibus et saxeis cacuminibus, resplendere videbantur luce lunæ nascentis. Per aliquas noctes percipiebatur clangor venti furentis, similis fragori percutienti canneta et nemora densa acerum et populorum. Cum nullum adhuc signum belli animadverterem, mihi visum erat bellum peractum esse; nec vero minuebant tormenta ignivoma, nec rumores per aera velivolorum ad Germaniam euntium.

Interea dum vigiliis ago in cogitationes complures me mergebam, et nullum impedimentum inveniēbam quominus magis magisque a me peterem cuinam rei opus meum prodesset.

Ut me paulum calefacerem, lagoenam extrahebam identitē continentem vinum rubrum; ita aliquas guttas bibebam aliquanto gustu me delectans. Eo momento, per sanguinem, velut rivuli parvuli et remoti, recordationes infantiæ meæ currebant: iucunda vindemia in his vallibus, amicitia generosa, odor vini quod famulus dabam sacerdoti momento Sancti Sacrificii, dies festus sinapis, facies parentum proximorum et gentium vicinorum. At, rebus præsentibus prævalentibus, repente cessabam his imaginibus gaudere et me iniciēbam in aliud genus considerationum tam malarum quamvis hoc drama non me impediret quominus eventum illum putarem nefastius terribiliusque ullo alio casu humano universali qui non unquam antea factus esset. Dicebantur res se præbere gentibus compluribus magis magisque atroces et unimodæ, quasi ad unicam directionem motæ: nam referebatur, sed maxima cum obscuritate, esse vehicula ducentia par vias ferratas Iudæos ad aliquos campos clausos, de qua re nihil certum erat.

Tempora hæc propitia certissime erant lupis famelicis: omnia inversa erant altera in altera, et res inauditæ commutæ erant in facta quotidiana.

Propter hoc aliqui timores antiqui resurgebant de imo animo, qui me impellebant ut fingerem cogitatione venire de finibus ignotis agmina ingentia hostium ferorum.

Nam permulti pagi, sparsi per montes et valles, incensi erant a Germanis hitlerianis quia facti erant receptacula sec-

tatorum adversariorum. Quam ob rem cives erant perterriti et inermes. Evenit una ex his noctibus frigidissimis et nigrissimis ut caperer maximo metu, adeo ut, contra sortem execrans, ascenderem in autocinetum et fuga salutem peterem præceps per vias heu! lubricas, rotis deflectentibus et dorso tremoribus percusso. Properabam ut exirem e vallibus et viis lubricis, quasi essem in latibulis ferarum.

Sensus mihi dicebant hostem iam esse propinquum. Subito diruptiones pyrobolicæ personuerunt in viciniis, paulo post se disperserunt quocumque per valles, tandem se extenuaverunt longius, mortuæ sunt postremo.

Neque tamen vero omnia tormenta ad finem venerunt. Aliquibus ex eis icti, nonnulli sicarii hitleriani enim ceciderunt.

Repentina nubes luctuosa se posuit super vitam, terram et res, tegens omnia silentio suo terribili. Altius cælum obscurum combibebat lacrimas doloresque hominum rerumque. Putantes se subiecturos cædi actæ a Germanis, cives expectaverunt; tenebant memoria incendium cuiuspiam pagi, eruptum in parte superiore vallis, ubi se celabant adversarii Hitlerianorum. Post hoc eventum, quo commilito perdiderat vitam, hi, venientes de præsidiis suis, ascenderunt ad partem superiorem ad militem quærendum.

Metus crescens corda faciebat anhelantia, sicut ventus ululans fatigat valles: cives ibant et redibant, circumagebant frustra, adspiciebant vias, scrutabantur semitas, vicos, flumina; post hoc redibant domum per vias breviores.

Dum ago fugam præcipitem perdiidi heu! lagoenam. Forte pars vini rubri expansa est per nivem quæ id absorberat quasi cruorem. Cor meum palpitabat ipsis ictibus iis quibus tympanum percutitur læte.

Peropportune nihil evenit rerum terribilium coniecturarum. Semper terroris captivus, perveni denique ad locum ubi currus, palea pleni, nive tecti et tempestatum prædæ, incipiebant marcescere. Me abdidit aliquamdiu post unum ex eis. Eo momento, ad regionis loca inferiora versus, cælum completum est luce splendidissima causa ignium volantium quoquoversum.

Hoc momentum mihi visum est simile diei festo Sancti Patroni celebrato iisdem ignibus lucentibus et mirabilibus, etsi fictis. Rumor velivolorum, etiamsi surdus et continuus, percipiebatur, nec tam tenax erat ut non interromperetur fragoribus tormentorum ut omnes qui ea audiebant exsilirent.

Rumor surdus erat militum Americanorum. Casu inveni inter rotas currus lagoenam metallicam, statim ei adhæsi ore avido bibens vinum omne et libertatem tam quæsitam.

Veluti distribuiti in ordines confertos sicut vigiliis agentes, rami arborum fragiles se moverunt salutantes novam lucem in cælo magis magisque puro et nitido. ☞



## VETERVM SAPIENTIA

– scripsit Geraldus Wailliez –

Quinquaginta abhinc annos, die 22 Februarii 1962, Cathedræ S. Petri festo, in basilica huic primo Romano Pontifici dicata, Pontifex Maximus Ecclesiæ Romanæ Ioannes XXIII constitutionem apostolicam «Veterum sapientia», «de Latinitatis studio provehendo», sollempniter promulgat.<sup>1</sup>

Quod documentum, quamquam suapte natura res religiosas spectat, omnes qui litteris classicis vere favent delectat, ut ex paucis sequentibus excerptis patet.<sup>2</sup>

«Veterum sapientia, in Græcorum Romanorumque inclusa litteris, itemque clarissima antiquorum populorum monumenta doctrinæ, quasi quædam prænuntia aurora sunt habenda euangelicæ veritatis (...)

«Quam ob rem Ecclesia sancta eius modi sapientiæ documenta, et in primis Græcam Latinamque linguas, sapientiæ ipsius auream quasi vestem, summo quidem honore coluit: atque etiam venerandos sermones alios, qui in orientis plagis floruerunt, quippe cum ad humani generis profectum et ad mores conformandos haud parum valerent, in usum recepit (...)

«Quarum in varietate linguarum ea profecto eminet, quæ primum in Latii finibus exorta, postea mirum quantum ad christianum nomen in occidentis regiones disseminandum profecit. Siquidem non sine divino consilio illud evenit, ut qui sermo amplissimam gentium consortionem sub Romani Imperii auctoritate sæcula plurima sociavisset, is et proprius Apostolicæ Sedis evaderet et, posteritati servatus, christianos Europæ populos alios cum aliis arto unitatis vinculo coniungeret.

«Suæ enim sponte naturæ lingua Latina ad provehendum apud populos quoslibet omnem humanitatis cultum est peraccommodata: cum invidiam non commoveat, singulis gentibus se æquabilem præstet, nullis partibus faveat, omnibus postremo sit grata et amica. Neque hoc neglegatur oportet, in sermone Latino nobilem inesse conformationem et proprietatem; siquidem 'loquendi genus pressum, locuples, numerosum, maiestatis plenum et dignitatis'<sup>3</sup> habet, quod unice et perspicuitati conducit et gravitati (...)

«Neque vero cuique in dubio esse potest, quin sive Romanorum sermoni sive honestis litteris ea vis insit, quæ ad tenera adulescentium ingenia erudienda et conformanda perquam apposita ducatur, quippe qua tum præcipuæ mentis animique facultates exercentur, maturescant, perficiantur, tum mentis sollertia acuatur iudicandique<sup>4</sup> potestas; tum puerilis intellegentia aptius constituatur ad omnia recte complectenda et æstimanda; tum postremo summa ratione sive cogitare sive loqui discatur (...)

«Ceterum qui sit Nobismetipsis hac de re sensus, satis aperte, ut Nobis videtur, declaravimus, cum hæc verba ad claros Latinitatis studiosos fecimus: 'Pro

dolor, sunt sat multi, qui mira progressionem artium abnormiter capti, Latinitatis studia et alias id genus disciplinas repellere vel coercere sibi sumant... Hac ipsa impellente necessitate, contrarium prosequendum iter esse putamus. Cum prorsus in animo id insideat, quod magis natura et dignitate hominis dignum sit, ardentius acquirendum est id, quod animum colat et ornet, ne miseri mortales similiter ac eæ, quas fabricantur, machinæ, algidi, duri et amoris expertes exsistant.'<sup>5</sup>

Aliqua præscripta sequuntur de linguæ Latinæ liturgico usu, de «Academico Latinitatis instituto» condendo (i.a. ad Latinos Vaticani scribas erudiendos atque, «quoniam lingua Latina est lingua Ecclesiæ viva», ad novorum verborum inductionem «cum veteris linguæ Latinæ ingenio consentanea[m]»), de linguæ litterarumque Latinarum scholastico studio una cum activo huius linguæ usu in seminariis, et insuper de lingua Græca, gradu minore at haud neglegendo, futuris sacerdotibus discenda.

Patet pleraque horum præscriptorum statim emortua fuisse (quibus de causis non hic inquirendum) atque ab anno 1965 linguæ Latinæ usum in Ecclesia catholica omnimodo labi.<sup>6</sup> Quod inter maiores fuit causas classicorum studiorum regressus, quare quibuscumque eorum fautoribus, quidquid ceterum de rebus religiosis credunt aut opinantur, de hoc lapsu dolendum est, de contraria autem via, novissimis annis (adhuc timide) secuta, gaudendum. ☪

1. *Acta Apostolicæ Sedis*, LIV, 1962, 129-135. Anno 1987, cardinalis Alfonsus Stickler huius documenti XXVum anniversarium diem commemoraverat apud Pontificium Institutum altioris Latinitatis. Cuius verborum excerpta e commentario c.t. *Salesianum*, 2, (1988), p. 367-377, inveniuntur in commentario c.t. *Pour qu'il règne*, districtus sic dicti Beneluxensis Fraternitatis sacerdotalis S. Pii X, Jan.-Febr. 2012 («Le latin dans l'Église»).

2. Quædam infrapaginales notæ omittuntur.

3. Pius XI, Epist. Ap. «Officiorum omnium», 1. Aug. 1922; A.A.S. XIV, 1922, p. 452-453.

4. *Corr.* G.W. iudicandisque A.A.S.

5. Ad Conventum internat. «Ciceronianis studiis provehendis», 7. Sept. 1959; in «Discorsi Messaggi Colloqui del Santo Padre Giovanni XXIII», I, p. 234-235.

6. Circa annum 1960 adhuc edebantur Latine enchiridia theologiæ et iuris canonici; qui vero seminarium post «moderna» studia secundaria adire volebant per unum annum pæne tantum linguam Latinam antea docebantur (sicut aliqui futuri ingeniarii scientiam mathematicam). Ipse vero, cum iuris civilis alumnus Lovanii eram, cursum in Facultate iuris canonici, anno academico 1961-1962, elegi qui tam scripto quam viva voce docebatur (quamquam nos, aliquantulum pigri cum essemus, ut solent discipuli – nihil novi sub sole! –, professorem Francogallice aut Neerlandice plerumque interrogabamus eisdemque linguis examinabamur).

T. LUCRETII Cari *De rerum natura*. Locos selectos ad usum discipulorum ediderunt I. Armella Chávez, G.A. Cepelák, L. Miraglia, E.M. Smith, Roma, Edizioni Accademia Vivarium Novum, 2012, 144 p.

Peropportune Vivarienses Lucretium, per quem Epicuri doctrina nobis est nota, iuvenibus lectoribus offerunt ratione Orbergiana explicatum. Res modo vere didactico tractantur: primum Lucretii vita exponitur (breviter quidem, cum de eo vix quicquam habeamus cognitum), deinde Epicuri doctrina, epitome operis *De rerum natura*, Epicuri doctrina a Cicerone (in variis operibus) explanata. Loci, qui postea proponuntur e singulis libris excerpti, belle sunt electi: 'mortem non esse timendam', 'de amoris insania', 'de modis musicis primum inventis', 'de pestilentia Athenis exorta', 'De Iphigeniæ sacrificio' («Tantum religio potuit suadere malorum!»)... Quæ capitula bis, ut ita dicamus, exponuntur: nam ipsum Lucretii carmen præcedit idem textus ab editoribus oratione soluta re-scriptus, quo versus postea facilius intellegantur. Adduntur, more Orbergiano, marginales explicationes et indices ad libri calcem. Atque hæc omnia Latine tantum, ut magistris discipulisque totius orbis terrarum hoc utilissimo instrumento frui liceat.

ISBN 978-88-95611-28-0

Luigi MIRAGLIA, *Lingua Latina per se illustrata. Vita moresque*, Roma, Edizioni Accademia Vivarium Novum, 2010, 224 p.

E contrario, hic liber Italis præcipue discipulis dicatur, qui libro Iohannis Orberg, *Lingua Latina per se illustrata* inscripto, uti solent; est enim Italice conscriptus. Utinam tamen reliqui linguam Italicam discant, ut etiam frui possint his lepidis narrationibus ad Romanorum vitam pertinentibus! Agitur de rebus Orbergianis lectoribus bene notis: de familia Romana, de puero improbo, de pastore et ovibus, de corpore humano, de anno et mensibus, de itineribus maritimis, de milite Romano, de ancillis, de deis, de christianis, de mille aliis rebus lectu vere iucundis et scitu dignissimis, additis multis imaginibus.

ISBN 978-88-95611-45-7

Alessandro MANZONI, *Mala cosa nascer povero. I Promessi Sposi ed altre prose in traduzione latina*, ed. E. Renna, Napoli, Edizioni Sparton, 2010, 303 p.

Alessandro MANZONI, *Di liete voglie sante. Inni Sacri ed altre poesie in traduzione latina. 'Vulcris' in greco antico*, ed. E. Renna, Napoli, Edizioni Sparton, 2010, 246 p.

Nomen magni scriptoris Itali Alexandri Manzoni (1785-1873) arte coniunctum est cum Italiæ adunatione linguæque Italicæ constitutione. Fabula autem romanica, cui titulus est *I Promessi Sposi*, maximum est opus totius motus romantici, qualis in Italia viguit. Alexander Manzoni etiam haberi solet ut unus e parentibus hodiernæ linguæ Italicæ. Eius autem opera, tam poetica quam prosaica, a non paucis hominibus doctis decursu temporum sunt in Latinum conversa. Quæ translationes his duobus voluminibus nunc feliciter sunt collectæ una cum originali textu Italico, ita ut utriusque linguæ cultores gaudium suum hic inveniant.

ISBN 978-88-901833-2-4

Epitaphium Marco, fratri Alani Van Dievoet, dedicatum,  
qui obiit 21. 04. 2012

Nil humanius est, quam fratres collacrimare:  
ergo ego, Alane, tuum fratrem etiam celebros.  
Non omnis morietur: erit pars multa superstes,  
si modo per vitam Musa perennis ei:  
Diligit ante omnes Musam Guidonis honesti:  
funereos flores<sup>1</sup> ipse poeta dabit.

Pepigit Anna-Elissa RADKE

1. Scripsit Guido Gezelle, poeta Flandricus, opus, cuius titulus est *Kerkhofblommen*.



# *In hoc fasciculo !*

*De machina Anticytherorum* [G. Licoppe] p. 1  
*De Torquati Taxi carminibus Latinis* [P. Marongiu] p. 4  
*Dialogus Mercurii et Erasmi* [D. Blanchard] p. 8  
*De re œconomica internationali, de iustitia sociali inter gentes mundi  
ac de calamitatibus generi humano imminentibus (II)* [S. Jansson] p. 10  
*Recordationes in lagoena metallica* [J. Teresi] p. 14  
*Veterum sapientia* [G. Wailliez] p. 15  
*Bibliotheca Latina – Epitaphium Marco Van Dievoet dicatum* p. 16

*Imago tegumenti : Africa Romana – opus musivum Tuneti servatum in museo de Bardo.*

---

## *Latine loqui :*

Conventiculum Bostoniense  
28 m. Iulii – 5 m. Augusti a. 2012  
[www.conventiculum.org](http://www.conventiculum.org)

Conventiculum Dickinsoniense  
In Pensilvania, 6-12 m. Iulii a. 2012  
<http://www.dickinson.edu/academics/programs/>

Conventiculum Latinum  
Lexintoniæ, 22-29 m. Iulii a. 2012  
<http://mcl.as.uky.edu>

Feriæ Latinæ Frigoletenses  
4-11 m. Iulii a. 2012  
[www.frigolet.com/fr/vie-culturelle/feriae-latinae](http://www.frigolet.com/fr/vie-culturelle/feriae-latinae)

Linguae Latinæ institutio æstiva  
Romæ apud Academiam Vivarium Novum  
<http://vivariumnovum.net/adextra.htm>

L.V.P.Ae seminarium Cracoviense  
29 m. Iulii – 5 m. Augusti a. 2012, [loquatrix@tlen.pl](mailto:loquatrix@tlen.pl)

Melissæ iter Latinum  
In insulam Cyprum, 22-29 m. Septembris a. 2012.  
[www.fundatiomelissa.org](http://www.fundatiomelissa.org)

Septimana Californiana instituti SALVI  
Angelopoli, 2-9 m. Iulii a. 2012.  
[www.latin.org/programs/septimana/Latine](http://www.latin.org/programs/septimana/Latine)

Septimanæ Latinæ Europææ  
Amœneburgi, 28 m. Iulii – 4 m. Aug. a. 2012  
Frisingæ, 2-8 m. Septembris a. 2012  
<http://www.septimanalatina.org>

Societatis Latinæ seminaria Latinitatis vivæ  
In abbatia Ottiliensi, in Bavaria, 16-21 m. Iul. a. 2012.  
In oppido Theulegio, in Saravia, 12-18 m. Aug. a. 2012.  
[www.voxlatina.uni-saarland.de](http://www.voxlatina.uni-saarland.de)

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.  
Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$  
BNP Paribas Fortis : 001-6287115-39  
BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

